

Nihil cedendum hinc videtur Pontificijs. Nam 1. Jejunia Pontificiorum sunt planè impia, contendunt enim esse ea per se cultum divinum, & salutem à DEO verè promereri; Non itaque jugum trahendum cum infidelibus, 2. Corinth. 6.

2. Delectus ciborum est doctrina Dæmoniorum, 1. Timoth. 4. Qui itaque in gratiam Pontificiorum abstinet à certis cibis, hoc ipso testatur, se probare hanc deceptricem doctrinam, & quæ Dæmones ipsos habet autores.

3. Clara Spiritus DEI vox est, omnia munda esse mundis, Tit. 1. & quod ingreditur per os, non inquinare hominem, Matth. 15. Qui itaq; abstinet à certis cibis, ut Pontificijs placeat, præfert edicta hominum hisce divinis mandatis.

Obj. Rom. 14. *Si propter cibum tuum frater tuus contristatur, jam non ambulas secundum charitatem, noli cibo tuo perdere illum, pro quo Christus mortuus, 1. Cor. 8. Si esca offenderit fratrem meum, non manducabo carnem in æternum.*

Resp. Paulus agit de infirmis fratribus, qui idem nobiscum sentiunt in fundamentalibus religionis capitibus, & in rebus adia-phoris à nobis tantùm dissentiunt. Tales Pontificij non sunt, qui insuper delectum ciborum, ut rem necessariam fervidè propugnant, quibus ne ad momentum cedendum.

CAPVT XVIII.

DE MAGISTRATU POLITICO.

Alterum in Ecclesia statum à DEO ordinatum occupat Magistratus Politicus, ab ipso similiter suo loco institutus ad collectionem, conservationem, & propagationem Ecclesiæ, sine quo Ministerium Ecclesiasticum munere suo ritè perfungi nequiret; collectio etiam

Ooooo 2 &pro-